


Wiener Stadt-Bibliothek.

10278

A



IO ANNI III.  
POLONIÆ REGI INVICTISSIMO  
OB VIENNAM AB OBSIDIONE TVRCARVM  
LIBERATAM  
PANEGYRICVS  
ROMÆ

HABITVS AB

*Antonio Malegonnellio, nunc de Amadoris*

In Ædibus Eminentiss. Principis Caroli  
Cardinalis Barberini, Regni Poloniae  
apud Sanctam Sedem Protectoris.



Ad exemplar FLORENTIÆ annò MDLXXXIV.  
Apud Hippolytum Navesium, *Superiorum permissu*, impressum.

II. 1347

II. 13



ris  
Po  
ru  
du

J. M. 22410

SERENISSIMO PRINCIPI<sup>3</sup>  
FRANCISCO MARIAE  
MEDICEO

*Antonius Amadorus olim de Malegonnellis F.*

**M**iraris, Serenissime Prin-  
ceps, me nullius notae  
hominem curas tuas, &  
altissimarum rerum studia  
interpellare? Quid si vide-  
ris has, quas offero Invictissimi Regis  
Poloniae laudes tam malè comptas, &  
rudi stylò signatas? Diu, fateor, & ipse  
dubius pependi, an accederem. An-  
mum

mum dabant magnitudo argumenti, in  
quò locum ingenij occupat ipsa mate-  
ries. Sed meam omnem verecundiam  
grata mens vicit. Iniquè nimis agerem,  
nisi Tibi hâc unâ, quâ possum, viâ innu-  
mera erga me Patruï Tui Cardinalis Leo-  
poldi beneficia testarer, cujus Coelestis  
Anima quamdiu in Terris fuit, me ad  
Principem hanc Mundi Urbem amanda-  
tum regiâ aluit munificentîâ, & amore  
plusquam paternò: utinam spes sapien-  
tissimi Principis de studiis meis non elu-  
ferim. Quid ego Tui, meique doloris  
vulnera rescindo? Haec retuli, ut auda-  
ciae causam agerem, & ut scires, hoc  
qualecunque tenuitatis meae specimen,  
haereditariò quodam Iure Tuum fuisse,  
antequam traderem.

IOANNI III.  
 POLONIÆ REGI INVICTISSIMO  
 OB VIENNAM AB OBSIDIONE TVRCARVM  
 • LIBERATAM  
 PANEGYRICVS

*Antonij de Amadoris, olim Malegonnellis.*

**B**ELLVM evasimus, Principes Eminentissimi, quò irâ, numerò, immanitate hostium atrocius, nec nostra unquam vidit, nec Patrum superior aetas expavit. Et sanè non magis alias in ambiguo Fortunae, Virtutisque steteret vires, cum, in contraria laborantibus, sub unâ denuò Viennensium Arce, totius humani generis libertas, aut servitium ageretur.

Duo nempe validissimâ Orbis terrarum Imperia, ferrò nuper, odiisque exitialibus, in mutuan adeò perniciem exarsere, ut, si rerum

momenta expendantur , propior periculo fuerit pars illa , quae vicit ; Et veluti saevâ tristissimae captivitatis caligine demersis, everfô statim carcere , inopina salus effulserit, vindices libertatis nostrae ruinas respectamus attoniti, & sustentante catenas animô , securitati nostrae vix credimus. Haeret adhuc menti funesta facies publici metûs, & peranxias noctes, dirôsque somnos miserae persuasionis errore torquemur.

Obversatur animo Austriaca Urbium Regina, innumeris circumvallata undique, & impulsâ gentibus , quas Orieos barbarus , non tam ab exustâ sideribus plagâ , aut ab ultimâ solis averfi luce, sed ab ipso rerum naturae defectu, in excidium Europae armavit. Nunquam sub unâ Ditione , Arce sub unâ tot Populi , nec tam dissimiles habitu , linguâ, moribus , convenere : Immanitate truces, aspectu terribiles , & quibus, praeter hominem, nihil moris humani ; Non Barbaros crederes. Hinc feralis tubarum clangor, strepentia aera , Castrorum fremitus , morientium voces : Inde suburbia diruta , incensae Villae, temerata Tempia , & quâ vilus



visus agi potest, cuncta furiali igne relucen-  
tia ; Adde catenata Civium agmina, foeda-  
tas ludibriò mortes, raptas ad stuprum Vir-  
gines, ereptos parentum sinu pueros, adul-  
tis contra Patriam viribus, & ferrò non suò  
reverfuros.

Augēt metum ira Numinis, prodigiosæ imbrium  
defectiones, principalium Astiorum sociatae  
vires, & ad mutanda Fata Regnorum crinitae  
Siderum flammae.

Adeò vivax est calamitatum memoria, Rex In-  
victissime, ut in hac beatissimorum tempo-  
rum luce, Téque coram, audeamus ea mala  
reputare, quae Tu Coelesti pietate, & Di-  
vinâ propemodum virtute depulisti. Sed níl  
Tibi accommodatius ad Gloriam, quam tri-  
stium commemoratione, Tua in nos merita  
recenseri, quibus in tantum humanam supra  
fortem emines, ut parum grati videremur,  
si nos cladium nostrarum poeniteret ; Angu-  
stè nimis potentiam Tuam metitur, qui non  
& impossibilia de Te credit. Tunc liberi,  
tunc salvi fuimus, cum primum ruenti Im-  
perio foederatam Victoriis manum devovisti ;  
Tam velox est Pietas Tua, Rex Invictissi-  
me,

me, quocunque exorata Bella convertis, ut  
 ludô quondam aetatis, & futuri laboris ti-  
 rocinio, non ocyùs silvas, montésque vena-  
 tu lustraveris, Arctoa flumina, furiásque tor-  
 rentum natatu transegeris: Quod nuper adeò  
 improbâsti, cum velocissimi sideris more  
 longinqua itinerum emensus, laboranti Au-  
 striae statim occurreres, ut Coelesti quodam  
 instinctu properantia Christianorum vota  
 praevenisse videaris, &, quam precabamur  
 opem, antè praestitisse.

Parum fuerat Magnanimitati Tuae promissi  
 fidem implevisse, nisi & superâsses; Nam  
 altissimae Indolis Filium, & quem unum vir-  
 tutibus Tuis parem habes, velut Te alte-  
 rum Tibi iunxisti, ut Barbariem innume-  
 ram, & quantum sceleris, longâ molitione,  
 foederata rebellio congefferat, geminô ter-  
 rore Majestatis everteres.

Superbiebat fabulosa, & vana Gentilitas, quòd  
 Latiali quondam bellô, duo in equis Divinâ  
 specie Milites Romanâ in parte stetitissent,  
 eosque velut in pretium victoriae, Aris, &  
 pulvinaribus consecravit. Non hic morabi-  
 mur vetustatis memorias; Antiquis nova prae-  
 feremus;

feremus ; Anne , Inviâti Principes , vos mis-  
 sa divinitus Numina piaculô Religionis cre-  
 diderim , cum id & miraculô victoriae com-  
 probetis , & Caesaris in Deum merita testen-  
 tur ? Quod si , Rex Auguste , priscis illis  
 superstitionum seculis vixisses , neque Te se-  
 curitati nostrae Suprema Mens reservâisset ,  
 qua Religione vivum adhuc , quantâque vo-  
 torum nuncupatione coluisset Antiquitas ? Tu  
 Delubra Herculis , Martis aedes , mutatô  
 Numine implevisses ; Capitolii Tempia non  
 ipso Iove minor intrâsses ; Omnium deni-  
 que Gentium Deorum invidiâ , generi hu-  
 mano consuluisses ; Sed quid ego , incau-  
 tus , Modestissimo Principi Divina ingero ,  
 qui & humana deprecatur ! Quae civium  
 studia , quàm longa Senatûs , cum verecun-  
 diâ Tuâ contentio , ut Insigne Regium assu-  
 meres ! Quàm tardè victus , Provinciarum  
 lacrymis paruisti ! Magnum quidem hoc ,  
 sed cum aliis commune Principibus : Illud  
 est peculiare Tibi , ac Tuum , quod supe-  
 rioribus seculis gloriam adimit , & magni-  
 tudine suâ fidem posteritatis impedit ; Cre-  
 dentne futuri , extitisse Principem , qui , post-  
 habi,

habitis Regni curis , reclamantibus Populis ,  
 renuente pignorum charitate respexerit ad ex-  
 terna , & labentis Austriae periculo fortu-  
 nas , vitam , liberos obiecitaverit ? Non vi-  
 deo , quid pulchrius in terris fuerit , ma-  
 gisque Coelestium oculis dignum , cum Tu  
 difficillimae expeditionis auspicia sumptu-  
 rus , ante Aram Dei intérque circumstan-  
 tium lacrymas , positâ Coronâ , versôque in  
 loricam paludamentô , Christi militem indue-  
 res . Nemo Diadema tam gloriosè , cum  
 accipit , quam Tu , cum deponis , merui-  
 sti . Et miramur , Dei manum his virtuti-  
 bus provocatam , triumphales tot laureas  
 Regio capiti adjecisse ? Quibus liquet bello-  
 rum fortunas non tam asseclas potentiae ,  
 quam administras esse Pietatis .

Meruerat Sanctissima Virtus Caesaris , ut ad  
 praesidium cadentis Imperii , armatae rue-  
 rent hyemes , pugnarent stipendiaria Sidera ,  
 staret bellator dies ; Sed visum est Deo ,  
 Rex Inviçtissime , Pietatem Tuam tantâ bello-  
 rum laude pensare , ut omnem Divinitatis  
 ostentationem , Te pugnante , suppresserit ,  
 ne libertatem Europae , incolumitatem Reli-  
 gionis

gionis, ulli magis, quàm Tibi deberemus,  
& Gloriam servati Caesaris, ne Ipsum penè  
Coelum ambiret.

Quare non sine impulsu quodam Numinis con-  
tigisse reor, quòd invictarum Gentium altrix  
Germania, peregrina externaque Regum au-  
xilia precibus exciverit, eò potissimùm  
tempore, quò si unquam aliàs, tunc sanè  
Fortissimorum Ducum gloriâ, & numerò ef-  
floruit: Inter quos, grande illud Viennen-  
sibus praesidium, Fortuna famaqué om-  
nium oculis Ernestum exposuit, qui Austria-  
ci Imperii, rerùmque Caput Urbem tantâ  
virtute defendit, ut abesse Caesarem, nec  
senserint Cives, nec hostes crediderint.

Actum erat de validissimâ Vrbe, & Christia-  
nae libertatis Arce, quae forti quàmvis mili-  
te, firmissimis moenibus, & feroci propu-  
gnetur Danubiò, praesenti tamen videbatur  
Fortunae cessura, nisi parem periculo Vi-  
rum mens provida Caesaris opposuisset.

Nunquam maioribus copiis, & obstinatò ma-  
gis odiò peracta gentium excidia; Nam Bar-  
bari Viennensium Urbem tam repentino in-  
cursu, & frequentibus praesidiis circumsede-

rant, ut sublatis commerciis, ademptò ef-  
fugio, finitimæ etiam Regiones, & Flumi-  
na clauderentur. Iuvabant spem victoriae Re-  
bellium vires, & nostræ manus: Immixta  
namque Thracibus Pannonia, civilia prope-  
modum arma stringebat, & signa, contra  
quæ steterat, sequebatur; Quin etiam infe-  
lix suburbii Populus, & catenati agrorum  
cultores, in Patriam armabantur inviti, ut  
novò sacramenti scelere, supra coniugum,  
ac parentum funera pro suâ servitute pugna-  
rent, ipsamque tristissimæ calamitatis perde-  
rent innocentiam.

Hostes itaque partitò exercitu, exstructis aggeri-  
bus, admotis simul undique machinis, tor-  
mentisque, portas, vallum, propugnacula,  
diurnis, nocturnisque impulsibus quatiebant;  
Productis inde obsidionalibus fossis tela,  
fata, ignes, ac dissilientes in stragem glo-  
bos vi flammæ iaculabantur, & succensis ubi-  
que cuniculis, Arcem terrore, ruinâ tenta-  
bant. Adversus hunc belli impetum Erne-  
stus reversis iam Municipiis, & longæ pa-  
cis operibus, ne usui hostibus forent, ita  
viros, arma, muros aptaverat, ut oppu-  
gnan-

gnantium vim incredibili virtute repelleret,  
 & nostrum sanguinem hostili clade pensaret,  
 Tutabatur Arcem luventus delecta, & ubi plu-  
 rimum periculi ostendebatur, ibi pertinacio-  
 ri animò arma, & pectora obiectabat; Im-  
 bellis etiam sexus, & infirma aetas supra vi-  
 res corporis, animique assurgens, ministrare  
 propugnatoribus tela, fovere saucios, manu,  
 voce, aspectu certantes accendere. Iam non  
 sanguis, non vulnera morabantur, quin op-  
 pugnant & apertis armis, & occultis dolis  
 obviam irent; modo hostium cuniculos trans-  
 versis excipiebant cuniculis, eluctatis modò  
 praesidiis, in adversas stationes, & muni-  
 menta erumpentes, fossas, aggeres, opera,  
 caedibus cumulabant: Incerti undique ictus,  
 improvisa funera; Nemo vulnere, nemo fa-  
 cinde inglorius, & quos vires, sanguisque  
 desereret, è muris cadere in hostem nite-  
 bantur, ut insigniori in Patriam fide, suis  
 etiam cadaveribus pugnarent. Ernestus ipse,  
 qua crebriori impulsi urgebantur moenia,  
 hortator aderat, & per obvias Coelo mor-  
 tes, ac erumpentia terris fulmina, huc illuc  
 volitans, succedebat fessis, laudabat stre-

nuos , retinebat cedentes , pavidis denique ,  
ac desperantibus Regem pollicebatur.

Non minori extra Urbem laude Lotharingius  
Dux Victoriâ hostibus inquietabat , Vir,  
qui supra generis claritudinem , & avita de-  
cora Egregius ipse , & pacis bellique glo-  
riâ , aetatum omnium Ducibus comparandus.  
Hic arma Caesaris , & auspicia movens,  
Arrabonem flumen infederat , sed conantibus  
vadum Barbaris , & Pannoniae auxiliis , mu-  
tatâ statim fide , sibi vincentibus , ne tunc  
nimis impares hostium viribus , periculo suas  
objectaret , néve Urbem à tergô desereret,  
procurrenti bello imparatam , tam celeri con-  
siliô , & felici ratione Viennam receperat  
copias , ut victoris potiùs , quàm cedentis  
exercitûs speciem praeberit. Habitô confe-  
stim delectu , firmatâque flore armatorum  
Arce , cum reliquô milite , tanquam solus  
timeretur , Danubii ripas , omnémque latè  
Austriam repentinis incursibus , & auxiliari  
bellô deterrebat. Obsidebat itinera , aggre-  
diebatur hostes , occupabat pericula , interci-  
piebat commeatus , tantâ denique arte , ma-  
nu , famâ , praesens , absens , ubique pu-  
gnabat,



gnabat , ut attonitâ veritate , adversariis pariter , ac suis , gloriosum de se faceret errorem ; cum ipsum Barbari non unum putarent , & crederent Germani , priscos omnes Lotharingiae Domûs Heroas in unô posterorum pro Caesare militâsse. Talem nempe fuisse oportuit , quem bellicæ laudis prærogativa , & Commilitonis sui gloriâ Rex invictissimus insignivit.

Urbs interea diutinô labore , & exaggeratis obfidionum malis oppressa , atrocior in dies experiebatur vim hostium ; iam rari propugnatores , subruta moenia , desperata auxilia , polluta omnia odore , sanie , contactu ; sed nîl aeqvè clausos fatigabat , quàm arctior annonâ , crescensque omnium inopia . Ad haec , dubiae militum vires , suspecti & Civium animi . Erant , qui turbidis vocibus , & minaci silentiô , vanas spes , & inconsultam resistendi moram Ernesto objectarent . Lapsis ad extrema rebus , tantus illico erumpentis cuniculi , simulque ruentis muri fragor accessit , ut non tam expugnatos sese crederent Cives , quàm funditus everfos : Incertus undique clamor accurrentium , vocitan-

citantium, ubique luctus, ruinae, fune-  
 ra, & iam fortuna captae Urbis. Nam eâ  
 parte, quâ strata ruinis moenia Arcem nu-  
 daverant, iam vallum, & propugnacula te-  
 nentes Barbari iura Mundi expetebant. Sed  
 quos vix Germania bellatrix, vix fortuna  
 totô Caesare submovisset, fugavit Dux u-  
 nus, vetuitque, se gladium stringente, vi-  
 ctoriam: Nam inter ruinas, velut alte-  
 rum pro Caesare munimentum, è mediâ  
 suorum strage emergens, armatum Orien-  
 tem intrepidus excipit, ac undique clausus  
 bellô, igne, ferrô, muralibus fragmentis  
 subeuntes obruit, seque ipsum resistentibus  
 minatur. Repressô parumper hostium im-  
 petu, conversus ad suos, Electi mecum,  
 inquit, per quorum pectora Europae Liber-  
 tas petatur, & digni, qui pauci opem Mun-  
 do feratis, cur tot vestra inter funera non  
 pudeat inultos vixisse? Sternite cuncta fer-  
 rô, & caesorum hostium aggeribus obsestae  
 Patriae ruinas pensate. Nusquam maior,  
 certiôrque bellorum merces. Quod si ne-  
 gatum est laudatore, ac teste Caesare, san-  
 guinem nostrum fundere, cadamus hoste  
 lau-

laudante; Ipsi virtutem mirabuntur Barbari,  
& invidebunt. Vicinus ò milites; densior  
iam in conspectu oriens pulvis properantem  
Sarmatiae Regem enunciat. Venit, quem  
post Deum vota nostra expetebant, quique  
Vrbis nostrae cladem totius Asiae funeribus  
expiabit.

Has rerum vices, hunc belli statum Rex Au-  
striam ingressus invenit, ibique primus fuit  
Urbis liberandae gradus, ad privata descen-  
dere: Nam, ne quid morae saluti publi-  
cae injiceret invidia, habitò statim foedera-  
torum Principum conciliò, amotòque ad tem-  
pus splendore Fortunae, Commilitonem se  
praebuit, ostenditque, se absque patrociniò  
Majestatis posse Imperia defendere, quae so-  
lâ virtute meruerat. Itaque, & in certami-  
ne modestiae victor, auctusque Germanorum  
copiis, per invios, intactosque tramites, oc-  
cupatis repentè Viennensium collibus, in  
subjectos hostes, velut è Coelò improvisa  
Majestatis fulmina intorsit.

Ut primùm Christianá luce fulsere signa, re-  
dit oppugnatis animus, nec minori fortitu-  
dine redintegrata est propugnatio, quàm si

invictissima universae Germaniae Virtus solis  
 Viennensium muris includeretur. Pueri,  
 Virgines, Matronae, dignitatis, & periculi  
 oblitae ostentare è moenibus gaudia, ten-  
 dere ad Regem manus, Liberatorem Urbis,  
 Christi militem, Dei Angelum compella-  
 re. Fuere, qui neglectò dolore vulnerum,  
 & medentium imperiò, hastae, clypeoque  
 innixi retentarent vallum, ut Rege saltem  
 visò, gloriosius exspirarent.

Divisis copiarum viribus, Rex jubet Germa-  
 nos concurrere: Non detrectavere pugnam  
 Barbari, quorum ardorem, ac primum  
 belli impetum fortissimi Saxones exceper-  
 e, qui tanquam, pro modò virtutis, fortunae gra-  
 dus deberetur, primâ in acie constituti, il-  
 latis ultrò, acceptisque vulneribus, in ve-  
 stigiò quisque suò, famaéque superstites ce-  
 cidere, haud indigni illius Imperiò Princi-  
 pis, à quò gloriosissimè ducebantur. Mul-  
 tus & hóc praeliò Lotharingius fuit, qui  
 dimissò equò, hastâque è novissimis uni  
 militum detractâ, pedes ante signa consti-  
 tit, & quâcunque in parte premi, ac la-  
 borare senserat ordines, impigrè aderat, vo-  
 ce,

ce, armis, exemplò conspicuus suis, hostibus insignis. Sed ferociore numero Thracæ jam catervatim, ac totâ belli mole nostros urgebant; cum repente Ernestus in hostium latera portis erumpens tantam edidit stragem, ut opem, quam imploraverat, crederes contulisse. Restitutâ acie, aequatisque cladibus, stabat pro partibus invicta Fortuna. Tum Rex magnò elatòque animò circumequitans suos; Domitores, inquit, Asiae, destinata Barbaris fulmina, en votis exoptata dies: habetis hostem, & numerum, quem vinci deceat; Non ignotas acies, novasque gentes credite; ii sunt quos, me Duce, fugatos saepe victòs que in ipsis nuper castris obtrivistis, à quibus innumeras Urbes, & immensa Provinciarum spatia recuperâstis; Tysa, Borysthenes, & hic Danubius, quid aliud sunt, quàm barbaricae cladis, & gloriae vestrae monumenta? Inter tot egregia decora non in ultimis laudum fuerit vindicasse Caesarem, opposuisse pectus pro Urbe Româ, quae vos Coelesti consiliò, & sacrò aerarii censu, in spem publicae libertatis armavit;

Stringite ergo ferrum, & in communi Orbis terrarum discrimine generi humano fata decernite: Credite Commilitonem Deum; Credite Sanctissimum Senem, Poloniae signa Quirinali è Coelò anteire. Deinde Filium intuens: Si domestica deessent exempla, illud tibi potissimum Bavari Principis assumerem, qui pari tecum annorum flore, velut stipendiis in ordinem emeritis, ferocem adhuc, maturamque Imperiis indolem spirat, & cursum aetatis, famamque futuri Ducis, festinatione virtutum praevertit: Sed cum nostra quaecunque sint habeas, sume Patris animum, cui destinatum est, extrema cuncta bellorum malle, quàm Europam intueri, Christianò diademate, sacroque paludamentò nudatam, triumphis spectaculum fieri. Quod si hâc acie moriendum est, moriamur, sed non inultò Caesare, ac Deò. Sentiat Asia, quàm magni cadamus, & funeri nostro, suaeque victoriae fremens indoleat.

Nîl ultrà cunctandum ratus, concitatò equò, cum omni turmarum robore in hostem incurrit, & velut immixtum equestri procellae

lae fulmen ; obstantia quæque rapuit secum , obrivitque , ac inter densiora pugnans agmina non diu latuit ; Nam laxatis repente ordinibus , exhausta internò milite hostium acies grande & atrox spectaculum aperuit ; Arma passim , & spolia , laceri artus , substrata equis Rectorum corpora , asurgentes è strage mediâ cruenti , & nudatò in reliquum sanguinem pectore totam mortem deprecantes ; dum ille praeliò victor per caesorum acervos , & palpitantia cadavera , fugientium terga anhelus incurreret , ac omnem latè campum ferrò , pulvere , terrore misceret . Deinde , ne quid magnum sibi deesset ad Gloriam , se quoque victorem superavit , nam obruncatò Praetorii signiferò , raptum vexillum proximiori tradens ; Fatale , inquit , Byzantii Palladium Romam defer , ibi signa triumphi effulgeant , unde victoria nostra profluxit.

Terrore latius datò , Dux ipse Barbarus equi pernicitate fretus , cladem suam , stratamque rem Asiae à tergò respectans turpi se fugae commisit , victoriam Caesaris , & Sarmaticae gloriae titulos per infida Orientis Re-

gna vivò monstraturus triumphò.  
 At Rex prosperis instandum ratus , everfis,  
 direptisque Castris per deserta , & avia fu-  
 gientes , sparfosque per Castella Barbaros  
 opprimit , & expugnatis praesidiis , receptis  
 Urbibus , turbatis Rebellium foederibus ,  
 Pannoniam omnem , aut armis occupat ,  
 aut metu ; Idque tam mirâ bellorum fe-  
 licitate , vt ne totam ferrò , ignique victo-  
 riam deberet , magnâ hostium parte vorti-  
 cibus haustâ , ipsi etiam visi sint Amnes  
 Regiô meruisse stipendiò . Ausa tamen est  
 aliquid circa Regem Fortuna , sed velut de  
 industriâ , timoris illum nostri , ac periculi  
 moneret . Non ego is sum , Clementissime  
 Princeps , qui curiosus in arcana Regum in-  
 quiram : Haec , quae cum Populò didici ,  
 quae ab amore publicò profecta sunt , audi .  
 Forti nimis animo discrimina praeliorum ag-  
 grederis ; impavidè nimis densissima hostium  
 agmina irrumpis : Quid iniquiora Tibi deli-  
 gis , & unus omnia Tibi assumis ? Satis gran-  
 de momentum victoriae , si tradas auspicia , &  
 formidatum nomen intentes . Nonne Kry-  
 mensium exercitus , Te nuper absente , sub Duci-  
 bus



bus Tuis ad internecionem caesi haustum no-  
 bis sanguinem refudere, & direptae Austriae  
 spolia Arctoa Charybdis evomuit? Tu exer-  
 cituum anima, Populorum vita, salus Eu-  
 ropae, noli omnium periculô fortis esse.  
 Anne Divina Tibi Virtus aliqua praesens as-  
 sistit? An habes cum Deo commune con-  
 silium? Non enim est hominis, bella tri-  
 umphis praevertere, imperare certaminum ca-  
 sibus, & securâ Majestate insultare periculis,  
 mortibus occurrere. Quod si unicuique  
 nascentium tutelaria Numina Mens supre-  
 ma distribuit, crediderim Tibi rebellium  
 stellarum domitorem Angelum contigisse,  
 veluti ad hoc nato, ut superbum illud, &  
 infame terrarum Sidus ab Oriente divelle-  
 res. Finiam hoc omine, & cum necessaria  
 de Te mihi, ac propemodam innumera,  
 damnô voluntatis, omittenda sint, arctatô  
 etiam Orationis limite, non à Te procul di-  
 vertar ad Deum.

Te, qui ab altiori Siderum luce terrena  
 respicis, & moderaris, quique, ut sae-  
 vienti Barbarorum armis seculo Christia-  
 num Regem opponeres, Principem hunc  
 tantis

tantis naturae ornamentis , praefidisque cum-  
mulâsti , quanta non conditio mortalis aut  
recepit unquam aut vidit . Te inquam ,  
publicâ generis humani voce obtestor ,  
atque precor ; Serva munus tuum , custo-  
di Grande terris Depositum , eique ad fu-  
turam subacti Orientis gloriam palma uni-  
versae Pacis accedat !



i-  
nt  
,  
,  
o-  
ll-  
i-

